

rum, apud quos ἰσημερινός uocatur. Secundus est motus centri annuus, qui circulum signorum describit circum Solem ab occasu similiter in ortū, id est, in consequentia procurrentes, inter Venere & Martem, ut diximus, cum sibi incumbentibus. Quo fit ut ipse Sol simili motu zodiacum pertransire uideatur: Quemadmodum uerbi gratia, Capricornum cētro terræ permeante, Sol Cancrum uideatur pertransire, ex Aquario Leonem, & sic deinceps, ut diximus. Ad hunc circulum, qui per medium signorū est, & eius superficiem, oportet intelligi æquinoctialem circulū, & axem terræ conuertibilem habere inclinationem. Quoniam si fixa manerent, & non nisi centri motum simpliciter sequerentur, nulla appareret dierum & noctium inæqualitas, sed semper uel solsticium, uel bruma, uel æquinoctium, uel æstas, uel hyems, uel utcunq; eadem temporis qualitas maneret sui similis. Sequitur ergo tertius declinationis motus annua quoq; reuolutione, sed in præcedentia, hoc est, contra motum centri reflectēs. Sicq; ambobus inuicem equalibus ferè & obuijs mutuo, euenit: ut axis terræ, & in ipso maximus parallelorum æquinoctialis in eandem ferè mundi partem spectent, perinde ac si immobiles permanerent, Sol interim moueri cernitur per obliquitatem signiferi, eo motu quo cētrum terræ: nec aliter quàm si ipsum esset centrum mundi, dummodo memineris Solis & terræ distantia uisus nostros iam excessisse in stellarum fixarum sphaera. Quæ cum talia sint, quæ oculis subiici magis quàm dici desiderāt, describamus circulum $ABCD$, quem representauerit annuus centri terræ circuitus in superficie signiferi, & sit B circa centrum eius Sol. Quem quidem circulum secabo quadrifariam subtensis diametris AEC , & BED . Punctum A teneat Cancrī principium, B Libræ, C Capricorni, D Arietis. Assumamus autem centrum terræ primum in A , super quo designabo terrestrem æquinoctialem $FGHI$, sed non in eodem plano, nisi quòd GAI dimetiens, sit circulum sectio communis, æquinoctialis inquam, & signiferi. Ducto quoq; diametro FAH , ad rectos angulos ipsi GAI , sit F maximæ declinationis limes in Austrum, H uero in Boreā. His sanè sic propositis, Solem circa B centrū uidebunt terrestres sub Capricorno brumalem cōuersionem facientem, quam maxima decli-

decli-